

ORIENTII COMMONITORIUM

LIBER PRIMUS

Quisquis ad aeternae festinus praemia vitae,
perpetuanda magis quam peritura cupis,
quae caelum reseret, mortem fuget, aspera vincat,
felici currat tramite, disce viam.

- 5 Nam nos, et carnis vitium et tempore victi,
terrenum gradimur sive doloris iter;
solaque permixtis haec sunt modo gaudia votis:
si, quod non facimus, saltem alii faciant,
et quia nunc istud, quod protinus effugit, aevum
10 infidis capti degimus inlecebris
lascivum miserum fallax breve mobile vanum,
ceu nos noxarum fons male praecipitat,
omnibus his, raptim quae sunt moritura, relictis
tu forti teneas non moritura fide.

Titulum priores editores secutus ex libro Sigeberti Gemblacensis de viris illustribus 34 deprompsi. — INCIPIUNT UERSUS LIBRI PRIMI SANCTI ORIENTII A, S. ORIENTII VERSUS B — 3 vincat B, prob. Baehrens, Sittl, Hudson-Williams, uitet A et edit. — 8 Si, quod B, Si quid A — 9 et Baehrens, prob. Purser, ut AB et edit., nunc AB, nos Habet, quem Bellanger sequitur — 10 degimus B, egimus A, inlecebris A, illecebris B et Bellanger; post inlecebris edit. virgula distinguunt, sed distinctionem delendam recte censet Baehrens — 12 heu nos noxarum fons male praecipitat Baehrens, quem sequor, sed retineo ceu pro heu, Heu (correctum ex Ceū fort. ab ead. m.) noxorum mali (sed al. m. corr. in noxarum malus) origo praecipitat A, Ceu B omisis quae sequuntur, Heu mala noxarum origo praecipitat Martene, Heu mala noxarum turpis origo parit Schurzfleisch, quem Bellanger sequitur, ceu mox praecipiet (uasta add. Schenkl) uorago mali dubit. Ellis, heu nos noxarum fons male praecipitans Mamitius, heu male noxarum copia praecipitat

- 15 Ergo, age, da pronas aures sensumque vacantem:
vita docenda mihi est, vita petenda tibi.
Sed, quo sit melior nostri doctrina libelli
et teneat rectas carminis ordo vias,
te, deus omnipotens, et corde et voce rogare,
20 te sine nec linguam solvere, Christe, placet,
demere qui tenebras revocato lumine caecis,
auditum surdis auribus inserere,
corporis et mentis saevos depellere morbos,
solvere mutorum qui pius ora soles:
25 te penes officium nostri est et cordis et oris:
da sentire mihi, da mihi posse loqui.
Nec mirum ut nostram vegetent tua munera linguam
ac per te de te sit tibi sermo placens,
mandato cum iussa tuo superaverit omnem
30 naturam nostra voce loquens asina
et stimulis propria subigentem terga Balaam
terruerit miro quadrupes alloquio;
qui, magno trepidi regis crebroque rogatu
dira super sanctum verba parans populum,
35 non potuit proprie motam sibi subdere linguam,
ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam male dicturus nimie benedicere coepit,
impedens aliis ora parata aliis.
Ergo nisi eloquium, sensum nisi, Christe, ministros
40 conatusque animae tu nisi, Christe, regas,
ora homines omnes et muta et bruta tenebunt

Purser, ceu mox praecipitat fons et origo mali *Galdi* — 15 vacantem *B*, uocantem *A* (sed al. m. ex o eff. a) — 20 nec *A*, quod coniecerat *Delrius*, ne *B* — 24 mutorum qui pius *B* et edit., multorum (cum 1 expuncta) qui solus *A*, qui scius *Baehrens* — 25 oris *B*, horis *A* cum h expuncta — 27 Nec mirum *A*, Nimirum *B* et edit. — 28 per te de te *B*, de te per te *A*, tibi *A*, mihi *B* — 29 cum iussa *A*, quod coniecerat *Delrius*, coniussa *B* — 30 loquens *A*, fruens *B*, prob. *Sittl* — 31 Et stimulis propria *B* et *Martene*, prob. *Sittl*, Atque sua stimulis *A*, *Ellis* et *Bellanger*, Et propria stimulis *Barthius* et dubit. *Purser* — 33 trepidi regis *A*, Regis trepidi *B* — 35 prope motam vel proprio motu pro proprie motam *Delrius* — 37 male dicturus *A*, maledicturus *B* — 38 ora *AB*, verba *Purser*, vate vel fata *Hitchcock* — 39 ministros *B*, ministras *A* — 40 conatusque *A*, conatus *B* — 41 et muta et bruta *B*, et brutę et mutę *A* (sed al. m. ex utraque e eff. a), ut muta et bruta *Commire* —

- quodque etiam possunt, hoc quoque non poterunt.
Principio geminam debes cognoscere vitam
a domino indultam cum ratione homini,
45 ut, quoniam brutum terreno est pondere corpus,
ast anima afflatu est vivificata dei,
nullum sentirent animae dispendia finem,
esset in hoc fragili corpore vita brevis.
Unam nascendi ratio prius omnibus affert,
50 hanc cura et propriis consequimur meritis.
Nasci non nostrum, nec longum vivere nostrum:
vitam quae sequitur vita parare potest.
Et licet arbitrio domini sumamus utramque
ac neutra obveniat, ni deus hoc iubeat,
55 prima tamen celeri fertur per prona rotatu,
quae sequitur totis est data temporibus.
In primam ignari nulla mercede venimus,
altera de summo parta labore venit.
Nascimur ut dominum caeli terraeque marisque
60 quaeramus toto pervigiles studio.
Quaerimus, ut qui sit, quantus vel qualis, agat quid,
vero possimus noscere iudicio.
Noscimus, ut digna compertum laude colamus.
Ut vitam tribuat perpetuam, colimus.
65 Et colimus non ture dato, non sanguine fuso,
non vine madidi, non epulis gravidi.
Aurum vestis odor pecudes libamina gemmae

43-58) *Lact. inst.* 7, 5, 16-18.

59-64) *Lact. inst.* 7, 6, 1.

65-70) *Lact. inst.* 6, 1, 5-6.

45 est pondere *B*, epondere *A* — 49 unam *A*, unica *B*, illam con. *Ellis* (sed iam coniecerat *Lipsius* in ed. *Delrii* p. 32), prius *AB*, primam *Delrius* — 50 consequimur *Schondonehus* et *Commire*, prob. *Hudson-Williams coll. Lact. inst.* VII 5, 17, consequitur *AB* et edit. praeter *Ellisium*, consequitor *Delrius*, quem *Ellis* sequitur — 53 Et *A*, At *B* — 54 Ac *A*, Et *B*, obueniat *B*, obueniant *A* — 56 totis *Lipsius*, quem *Martene* et *Ellis* sequuntur, prob. *Barthius* et *Hudson-Williams coll. Lact. inst.* VII 5, 17, tutis *AB* et *Bellanger*, prob. *Manitius* et *Purser* — 61 qui sit quantus vel qualis (corr. ex quales) *A*, quis sit qualis vel quantus *B* — 62 Uero possimus noscere (corr. ex noscere) *A*, Possimus vero noscere *B* — 65 ture *A*, quod coniecerat *Delrius*, rare *B* — 66 gravidi *AB* (sed in *A* ead. m. supra lin. add. uel gruidi), cruidi

LIBER SECUNDUS

Si monitis gradiare meis, fidissime lector,
 caerulea securus colla premes colubri,
 cumque aderit Christus iudex, mox obuius ibis,
 per tenerum blandis aera vecte notis.
 5 Tantum ut mandatis quovis sub tempore in istis
 praetereat curam portio nulla tuam.
 An si ventosae moveat te gloria linguae,
 quam suadet vano Tullius eloquio,
 sin fugienda iocus convivia sermo voluptas,
 10 sique etiam aequaevus dissociande tuis,
 quo studio nostri servabis verba libelli,
 ut vitae meritis consociere deo?
 Praecipuus labor est blandam contemnere laudem, DE VANA
 quae trahit in praeceps ambitiosa homines LAVDE
 15 et semper tacito festinat ad intima motu
 visceribusque ipsis pestis acerba sedet.
 Omnia dum volumus, facimus quaecumque, probari

2) Ps. 90, 13; Verg. Aen. 2, 381. 7) Verg. Aen. 11, 390, 708.

9) Cic. pro Cael. 46.

1 Si monitis editt., imonitis A — 2 premes Schenkl, quem Bellanger sequitur, premis A et Ellis — 7 An A et editt., at Commire, cum Baehrens — 8 Quam A, qua Baehrens, quem Bellanger sequitur — 9 Sin A, seu dubit. Ellis, sint Baehrens, quem Bellanger sequitur — 10 Sique A, sic Ellis, sique Baehrens, tuque Havet, quem Bellanger sequitur, aequaevus dissociande editt., eque vis dissociande A — 12 Vt A et editt., tum Purser, consociande A (sed ead. m. signo notavit -ande et in mg. scripsit -ere, quod editt. non animadverterunt), consociere Havet, quem Bellanger sequitur, consociande Martene et Ellis — 13 Lejny censet vv. 13-92 transponendos post v. 134, ut haec series fiat: 1-12, 93-134, 13-92, 135 sqq.; DE VANA

atque suis nullus non favet in vitiis,
 lenito titulo parcum se dicit avarus,
 20 acris velatur nomine saevitia,
 ac studiis totis et tota nitimur arte,
 ut quicquid loquimur vel facimus placeat.
 At tu si Christo soli vis esse probatus,
 gloria quaeratur nulla tibi ex homine.
 25 Nam cum deiectus, mox exaltabere, erisque
 pro domino parvus, magnus apud dominum.
 Contentum vexet quaecumque iniuria; nulli,
 si mala pertuleris, par quoque redde malum.
 Ecce patrem Christus pro se lacerantibus orat,
 30 supplicat et Stephanus, supplicat et Iacobus,
 dum miti magnoque animo licet ultima passi
 poenarum nulli causa volunt fieri.
 Nullum scaeva reum faciat sententia, nullum
 austero properes plectere iudicio.
 35 Festucam tenuem fraterno in lumine cernis,
 luminibusque tuis nescis inesse trabem.
 Iniuste alterius cupiet describere vitam,
 assertor vitae qui nequit esse suae.

19) Paul. epigr. 40 sq. 24) 1 Thess. 2, 6.
 27 sq.) 1 Thess. 5, 15; 1 Petr. 3, 9. 35 sq.) Matth. 7, 3.

LAVDE A — 18 atque Purser, prob. Hudson-Williams, Vique A et editt., fau& inuitiis A (sed al. m. supra & scripsit a et expunxit in, ut faueat vitiis legatur), faueat vitiis editt., sed prior. lect. cod. def. Purser et Hudson-Williams, fauet et vitiis Baehrens, fauet, ah, vitiis Manitiis — 22 quicquid A, quidquid editt. — 26 parvu' A — 27 contentum Ellis, prob. Hudson-Williams, contemptum A et Bellanger, quod et Manitiis malebat; Hudson-Williams recte censet sic interpungendum post iniuria — 28 si mala Commire, prob. Hudson-Williams, Simile A (sed al. m. mut. poster. i in a), Si male editt. — 30 et - et A, en - en Baehrens, iacob. A, Iacobus Martene et Bellanger, quod malebant Sanday et Manitiis, Iacob Ellis — 31 mitti A cum prior. t expuncta, passim A cum m expuncta — 33 scaeva Hudson-Williams, sacua A et editt., laeva Baehrens, reum ex rerum corr. ead. m. in A, faciat A, feriat Baehrens, qui postea emendationem reiecit — 34 properes Mico carm. pros. 23 (in Mon. Germ. Hist., Poet. Lat. aev. Carol. III 2 fasc. I p. 280), quod et Commire coniecit, proceres A — 35 cernes A (sed al. m. mut. poster. e in i) — 37 describere marg. A, Martene et Ellis, decrimine A, destringere Havet, quem Bellanger sequitur, decernere Purser — 38 nequit Commire, quem Ellis et

- 405 spiritus et sanctus nullo discrimine iunctus
unum consumment nomina trina deum.
At tu cum <que> legis nostrum quicumque libellum,
nostri, seu malus est seu bonus, esto memor.
Et quoties dominum perlecto carmine Christum
410 orabis, simus semper in ore tuo.
Quod ne me primis credas iniungere labris
teque istud tuto dissimulare putes,
sic te nulla dies curis compungat amaris,
sic Christo totum quicquid agis placeat,
415 sic sumas sanctam domino tradente coronam,
nominis abscedat ne tibi cura mei,
ut peccatores vincens Orientius omnes
sanctorum veniam promerear precibus.

censet Havet — 405 xpc A (sed al. m. expunxit x et praeposuit s) — 407 cumque legis Weyman, cum legis A, relegis vel care legis dubit. Ellis, quando legis Baehrens, quem Bellanger sequitur, legisti Moricca; Galdi negat aliquid esse emendandum, cum censeat Orientium syllabam le. produxisse — 409 quoties A, quotiens Ellis et Bellanger — 412 teque Baehrens, quem Bellanger sequitur, Neque A, neque Commire, quem Ellis sequitur, meque Eckart et Schurzfleisch — 414 quicquid A, quidquid edit. — 415 domino Commire, quem Ellis et Bellanger sequuntur, dono A —
EXPLICIT SANCTI ORIENTII Scds INCIPIT DE NATIVITATE DOMINI A.

CARMINA ORIENTIO TRIBUTA

I. DE NATIVITATE DOMINI

- Splendidior lux luce micat, maiorque diebus
fulget clara dies, toto festivior anno,
natalis quae lecta deo. Qua nascitur ille,
cum patre qui semper caeli in consortia regnans,
5 virtus magna patris, carnis primordia nostrae,
sumere ubi carnem voluit, sic morte peracta,
mox hominem in caelum revehens, nec carne senescit.

II. DE EPITHETIS SALVATORIS NOSTRI

- Ianua Virgo Leo Virtus Sapientia Verbum
Rex Baculum Princeps Dux Petra Pastor Homo
Retia Sol Sponsus Semen Mons Stella Magister
Margarita Dies Agnus Ovis Vitulus
5 Thesaurus Fons Vita Manus Caput Ignis Aratrum
Flos Lapis angularis Dextra Columba Puer
Vitis Adam Digitus Speculum Via Botruo Panis

1 diebus ed. Mignianus, quem Ellis sequitur, diei A — 3 natalis quae Martene, quem Ellis sequitur, Natalisq. A — 4 in delendum censet Manitius — 6-7 locum vitiatum sic restituit Ellis; Mox hominem in caelum revehens sic morte peracta | Mure (sed ead. m. expunxit M et supra lin. scripsit s) qui carnem voluit nec carne senescit A, def. Bellanger — DE EPI TII&IS SALVA TORIS NOSTRI A — I IANUA. VIRGO. LEO. VIRT. SAPIENTIA. VERBUM A — 2 baculú h. e. baculum A (cfr. carm. III 104 baculus) — 6 angularis Schurzfleisch, quem Ellis sequitur, angularis A, Columba Hilberg coll. carm. III 132 et A. L. 689 a Riese, Columba A et edit. — 7 Vitis Mueller et Hilberg coll. carm. III 134 et A. L. 689 a Riese, Mitis A et edit., Botruo

- cum sensu vitae sensum deponere poenae
 et natum innatis consimilem fieri,
 quam nunc, peccatis toto dominantibus aevo,
 extingui vitae, vivere supplicii.
- 305 Nam rogo ne credas dirac ad compendia poenae
 quod raptim sontes subdita flamma voret.
 Ignibus aeternis immensos respice colles
 iugiter amburi, nec tamen imminui:
 et gelidos fontes et caerula flumina cerne
- 310 fundere semper aquas, semper habere tamen.
 Sic miseris vindex semper populabitur ignis,
 ut semper servet pabula laeta sibi.
 Haec si falsa putas, merito post vera probabis:
 ut falsa effugies, si modo vera times.
- 315 Quare post mortem sequitur si vita perennis,
 laetificans iustos discruciansque reos,
 viribus et totis et totis nitere votis,
 quae rectum ducunt continuare vias.
 Contere calcatum cum mundi principe mundum
- 320 et fuge lascivis credere deliciis.

305) Hil. in Matth. 5, 12.

306) Ps. 20, 10; Is. 33, 14.

307) Tert. de paen. 12, 3.

301 poenae B, pene A (sed al. m. infra prior. e add. o) — 305 compendia A, compendia B, compendia Ellis — 306 sontes B, insontes A cum in expuncto, fontes Martene a. 1717, insontes Ellis, subdita A, debita B et editt. — 307 imensos h. e. immensos A, immensos B, immensos perperam Martene, quem sequitur Ellis, qui immensos scribit tamquam ex A, nec non Bellanger, qui immensos — 308 nec A, non B et editt. tamquam ex AB — 309 caerula flumina B, flumina cerula A — 310 Fundere semper aquas, semper habere tamen B, Semper habere tamen fundere semper aquas A — 312 Vt B, Et A — 314 Vt AB, at Fabricius, quem Martene et Ellis sequuntur, sed lect. codd. def. Delrius, Schondonchus et Bellanger — 315 si Lipsius, se AB — 318 rectum AB, rectum dubit. Ellis, sed lect. codd. def. Purser — 319 cum mundi principe mundum B et Martene, mortis cum primi A (sed al. m. supra lin. post mortis add. et, mut. ú in ó et primi in prime, tum add. donū, ut mortis et comprime donum legatur), mortis cum principe mundum

DE
LASCIVIA

- Praecipue semper famosos despice vultus
 iudiciumque tuis eripe luminibus.
- Nemo feret rutilos intactis vestibis ignes,
 nemo inter lituos non trahet aure sonum.
- 325 Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
 naribus assiduam non metet ungue rosam.
 Nemo diu sitiens et multo sole perustus
 incumbet gelidis nec potietur aquis.
- Nemo vias pedibus brumali tempore carpens
 330 conspersus pluvia nec madefactus erit.
 Nemo, licet mediis muris, sub tempore belli
 vel bene securus vel bene tutus agit.
 Congressus praestat visum, mox lumina visu
 concipiunt flammam parturiuntque nefas.
- 335 Dum veluti iacto piscantis fraudibus hamo
 primo animus capitur, post etiam moritur.
 Prima mali labes heu femina! te dolus anguis,
 atque hominem per te reppulit a domino.
 Erepti tu causa boni, tu ianua mortis,
 340 tu decepta cito, tu cito decipiens.
 Ergo, age, qui nullo maculari pectora naevo
 et purus puro niteris esse animo,
 ut laqueos, ignes, gladios et acuta venena,
 cernere laudatam sic fugies faciem.
- 345 Non ego nunc repetam per tot iam saecula quantos

323) Prov. 6, 27. 337) Verg. Aen. 2, 97.

Ellis et Bellanger — 321 in margine huius v. exstant in A litterae hae ASCI (a maxima ex parte deest), quae reliquiae sunt tituli DE LASCIVIA; B in mg. exhibet CONTRA LASCIVIAM ET VENEREA; famosos AB et editt., formosos Commire, quod Ellis et Manitius malebant, sed lect. codd. def. Bellanger coll. I 344, vultus A, cultus B — 324 trahet Lipsius, trahit AB, aure A, quod coniecerat Delrius, ore B — 326 assiduam AB, attiguam Baehrens, quem Bellanger sequitur — 330 conspersus editt., Compersus B, Aspersionem A — 332 Vel — uel A, Aut — aut B, agit A, erit B — 333 lumina visu A, uti correxerat Delrius, lumina visum B — 336 Primo A, Primum B — 338 Atque A, Ac B — 340 decepta cito A, cito decepta B — 341 qui A, quod coniecerat Delrius, quae B — 342 Et B, Vt A — 343 ignes Commire et Manitius, quos Bellanger sequitur, ignis AB, gladios A, validos B, et acuta B, ac cuncta A — 344 fugies AB, fugias Schenkl — 345 repetam B, refe-

- feminei vultus perdiderint populos;
 praetereo cladem Spartanam et Troica bella
 et raptum, excidium quam prope, Roma, tuum!
 350 cum gentes nulla domini sub lege nec ullis
 sanctorum ad vitam perdomitas monitis,
 qua furor impulerat lascivus duceret error,
 esset et hoc licitum quod fuerat libitum.
 De sacris, inquam, de sacris percipe libris,
 obprobrio quantis turpis amor fuerit.
 355 Te Dinae species nimio sub amore ruentem
 extinxit, Sichem, cum patre, cum patria.
 Nam male compressam fratrum pia cura sororem
 promittit thalamo, vindicat in gladio.
 Hunc quoque laudatum psalmodum carmine David
 360 forma placens celso deposuit solio,
 cum male lascivum comperto crimine corpus
 sacco contegeret, contereret cinere.
 Thamar forma duos sub eodem tempore fratres
 incesti et ferri perpulit in facinus.
 365 Unus corrumpit, corruptam ulciscitur alter:
 ultio, quae iusta est, desinit esse pia.
 Ipse etiam Salomon, cuius sapientia prisco
 tempore et in toto nobilis orbe fuit,

ram A — 346 perdiderint B, perdiderit A — 347 Praetereo A, Praeterea B, Praeteream Lipsius, cladem Spartanam et Troica Purser, clades spartanas et troica A et Mico carn. prosod. 364 (in Mon. Germ. Hist., Poet. Lat. aev. Carol. III 2 fasc. I p. 292), clades Spartanas, Troica B, Martene et Ellis, fraudes Spartanae, Troica Havet, quem Bellanger sequitur — 348 raptum A et Bellanger, raptum B, raptu Delrius, quem Ellis sequitur, partum Baehrens; hunc v. sic distinxit Schenkl auctore Friderico Marx — 351 duceret error B et Bellanger; de scriptura codicis A variae sunt sententiae: nam ducere mihi et Martenio visum est, ducere Ellisio et Bellangerio, uitam mihi, uictum Martenio (qui lascivum pro lascivus scripsit), Noltio et Bellangerio, uictam Ellisio et Thompsonio; duceret auctor Ellis, duceret ictus Schenkl, duceret actus Purser — 354 Obprobrio A, Oprobrio B — 356 Extinxit B et Martene, Extinxit A, Extinxit Bellanger, exstinxit Ellis, Sichem Ellis et Bellanger, sychem A, Sicem B et Martene — 358 Promittit A, Permittit B, uindicat in gladio AB, uindicat, en, gladio Manitus — 361 comperto edit., cōpto B, cōptū A — 364 perpulit B, pepulit A — 365 corrumpit B, corrupit A — 368 in

- ducitur in facinus vetito laqueatus amore,
 370 femineo subdeus turpia colla iugo,
 et domini inmemorem merito praeconia laudum,
 quae iuvenem oruarant, destituere senem.
 Forma placens regi leto te tradidit, Aman;
 forma tuum rapuit, dux Oloferne, caput.
 375 Illum mirifico famosum robore Samson
 forma decens saevis tradidit allophyliis.
 Sanctus vel victor per tot modo proelia miles
 heu male femineis subditur arte choris,
 ut iam pollutus, pariunt quia crimina poenam,
 380 oscula virginibus, terga daret gladiis.
 Tu quoque, Leuvitis, tantum dilecta nec uxor,
 insano iuvenum subdita nocte toro,
 vindictae studio totas in bella dedisti
 perdere contentas sive perire tribus,
 385 ut membris lacero dispersis funere Gabaat
 efficeret diris ignibus usta rogam.
 Non, mihi si linguae centum sint oraque centum,
 expediam quantum forma placens noceat.
 Lascivo clamat benedictus apostolus orbi,
 390 dans etiam licitis iura severa toris.
 Coniuge possessus, contempta coniuge liber
 non similem causam relligionis habent:

387) Verg. Aen. 6, 625; georg. 2, 43. 391) I Cor. 7, 32-33.

B, om. A — 371 inmemorem A et Ellis, inmemorem B, Martene et Bellanger — 373 leto Ellis et Bellanger, leto A, leto B et Martene — 377 vel victor Hudson-Williams, et uictor AB, et inuictus Commire, quem Bellanger sequitur, ad haec uictor corr. ed. Bodl., is et uictor Ellis, set uictor Lejay, et hic uictor Purser — 378 femineis s. a. choris AB, foeminei s. a. chori corr. ed. Bodl. et Bellanger, subditur B, subdit A (num compendi signum scriptum sit, incertum mihi videtur), thoris pro choris dubit. Purser — 379 Vt iam A, quod coniecerat Delrius, Vitam B, poenam AB, crimen Hudson-Williams — 381 leuvitis A (eu vix legitur), Leuitis B et edit., Tu quoque Levitae tantum dilecta marito Bellanger, qui postea emendationem reiecit — 382 toro B, thoro A, choro Baehrens et Manitus, sed lect. codd. def. Bellanger — 383 in A, vel B, ad Delrius — 385 Gabaat B, gabaath A, Gabat Delrius, dispersis funere gabaath A nigriore atramento — 391 contempta coniuge B, contempta et coniuge A, quod malebat Baehrens — 392 relligionis B, religionis A —

- Sed nos damnatis vitis insistimus et quae
 40 ipsi persequimur mox etiam facimus.
 Fallere crede nefas! Durat sententia dicens:
 os, quod mentitur, morte animum perimit.
 Et quod verax est semper dixisse memento
 et non quod non est sermo tuus resonet.
 45 Dulci praeterea frenos impone palato,
 ne sapor antiquus saeviat illecebris.
 Illos caelorum donis regnisque potitos
 fecit mortales ambitiosa gula;
 nunc magis in vetitum ruimus cupimusque negata
 50 et quod difficile est hoc potius volumus.
 Praecipue largo venas perfundere vino
 respue, ne raptim vina venena fiant.
 Ut nimis quoties sitit aestibus arida tellus,
 sollers in fructus quam parat agricola,
 55 si prius evulsas quam sol internecet herbas,
 inrorent madidos nubila densa dies,
 protinus et sentes et gramina noxia messi
 seminibus victis heu male laeta feret:
 corpora sic multo fuerint quae dedita vino,
 60 consiliis pereunt, luxuriant vitis.
 Et quid sordidius, quid erit deformius umquam,

42) Sap. 1, 11. 49) Ov. am. 3, 4, 17.

Bellanger sequuntur, nescit *A* — 39 damnatis *Bellanger*, damnati *Martene et Ellis*, prob. *Purser*, dampnati *A* — Post v. 40 *A* exhibet DE CAVENDO MENDATIO — 42 animum *A*, animam *Purser sine necessitate* — 43 quod verax est *Martene*, quem *Bellanger sequitur*, quod est verax *A*, quod erit verax *Ellis*, ergo quod est verax *Baehrens* — 45 DE GVLA marg. *A* — 46 antiqu' *A*, antiquus malebat *Baehrens*, antiquis *Commire*, quem *Bellanger sequitur*, antiquum *Ellis*, prob. *Manitius*, *Purser et Hudson-Williams*, sacuiat *A*, serviat *Manitius*, quod dubit. coniecerat *Ellis*, illecebris *A*, inlecebris *Ellis* — 48 Fecit ambitiosa gula mortales *A* cum signo permutationis supra ambitiosa et mortales — 49 nunc *Hudson-Williams*, dam *A*, tum *Manitius* — 50 difficile ex difficile corr. ead. m. in *A*; post hunc v. nonnulla intercidisse putat *Baehrens* — 51 DE EBRIETATE marg. *A* — 52 fiant *A*, fiant *Baehrens*, qui postea emendationem reiecit — 53 nimis *A* (sed al. m. supra lin. add. i), quoties *A*, quoties *Ellis*, quem *Bellanger sequitur* — 54 Sollers *A*, solers *Ellis*, quem *Bellanger sequitur* — 56 inrorent *Ellis*, quem *Bellanger sequitur*, inroret *A*, inroret madidos nubila densa dies malebat *Schenkl cum Baehrensio* — 61 úquá

- quam si te tibi met subtrahat ebrietas?
 Cum caput huc illuc vergat, gressusque vacillet,
 mensque neget sensum, lingua tenere sonum,
 65 claudantur gravido vergentia lumina somno,
 quod facis ignores tum quoque cum facias.
 Quid loquar ablatum vultu spumante colorem,
 et male compositis verba soluta modis,
 labentes manibus calices, mensasque per ipsas
 70 immixtos vino saepe redire cibos,
 teque per innumeros, cum vult mens saucia, motus
 vel gaudere nimis vel modo flere nimis,
 et nunc saltatu vergentia membra rotare,
 nunc dare lascivis brachia mota choris?
 75 Exclamare libet, vino dapibusque sepultum,
 forte etiam proprii nominis immemorem,
 eius, qui donet largus tibi talia, quando
 orandi subeat tunc pia cura dei?
 Pascere tam magnus sumptus quot posset egenos,
 80 quotque dies laetos haec daret una dies?
 At te nunc saturo pauper ieiunus oberrat:
 tu vinum revomis, vix habet alter aquam.

75) Verg. Aen. 3, 630.

A, unquam *Bellanger* — 65 urgentia *A*, mergentia *Schenkl*, uertentia *Baehrens*, turgentia dubit. *Ellis*, marcentia *P. Thomas*, sed lect. cod. def. *Bellanger* — 66 Quod *A* et *Bellanger*, qui autem censet quod esse emendationem *Ellisii*, Quid perperam *Martene*, quem *Ellis* secutus est, etsi suspicabatur legendum esse quod; tum *Baehrens*, prob. *Purser*, tu *A* et edit. — 67 ablatum *A*, adlatum *Ellis*, vultu *Martene*, quem *Ellis et Bellanger sequuntur*, vultus *A*, spumante *Havet*, quem *Bellanger sequitur*, prob. *Purser*, fumante *A*, colorem *Baehrens*, prob. *Purser et Ramain*, calorem *A* et edit. — 71 saucia *Commire et Eckart*, quos *Ellis et Bellanger sequuntur*, sauciat *A*, actus pro motus con. *Martene* — 77 eius *Commire*, *Ellis et Bellanger*, Eiuu' *A* — 79 magnus sumptus *Bellanger*, magnos sumpt (fortasse sumptus, nam nota' erasa videtur) *A* (sed al. m. expunxit s, ut magno fieret, et add. v, ut sumptu), magno sumptu *Ellis*, magno sumtu *Martene*, posset *A*, posses (uti correxerat al. m. in *A*) *Martene* — 80 hic pro haec malebat *Commire* — 81 oberrat ex aberrat corr. in *A* ead. m., quae paup pro paup scripsit — 82 vinum *Martene*, quem *Ellis et Bellanger sequuntur*, uina *A*, remes *A* (sed ead. m. supra lin. add. uo, postea al. m. mut. poster. c in i, ut nunc reuomis legatur) —

- Et si forte cibum vox poscit egena, negabis
 ollis, quis nihil est, hoc tibi quod superest.
 85 Sentio iam dudum tacitum te dicere, lector:
 vera quidem, sed sunt ardua quae statuis.
 Ardua praecipimur: de terra scandere caelum,
 non est quod parvo stare labore putes.
 Magnus enim labor est, sed merces magna labori.
 90 Praemia qui sperat desidiā fugiat.
 Palmam nemo feret, nisi qui certaverit ante.
 Non nisi victori blanda corona datur.
 An tibi <si> fragiles mundi quaerantur honores,
 munere quo speres emeruisse hominem?
 95 Quicquid id est variis quod vexat corpora saevis,
 dum celeri vitam currimus in stadio,
 contemptum pluvias frigus ieiunia rixas,
 contento poteris sustinuisse animo,
 discurrens urbem totis lustrare diebus,
 100 vix media fessus nocte redire domum,
 continuoque iterum prima consurgere luce,
 ut clausas possis primus adire fores.
 Et cum te tenuis per dura sedilia somnus
 compulerit fessum deposuisse caput,
 105 ille prior forsā qui serior adfuit ibit,
 at tua pulsabit stulta querela notos.

85-142) Pelag. ep. ad Demetr. 28. 92) 2 Tim. 2, 5.

84 Ollis quis *A* cum nota supra quis — 86 Vuera *A* cum u eraso, quæsta tutis *A* (sed al. m. recte distinxit post quæ et postremum t expunxit, ut quæ statuis legatur) — 88 stare labore Martene, quem Ellis et Bellanger sequuntur, labore stare *A* — 93 An tibi fragiles *A*, si suppl. Commire, perfragiles Martene, At pro An P. Thomas — 94 quo Ellis, quem Bellanger sequitur, qua *A* (in marg. al. m. add. t quos), quos edidit Martene, speres *A*, spernes P. Thomas, hominem editt., hominē *A* (supra é ead. m. scripsit t ú h. e. hominem vel hominum), quos... hominum sine puncto interrogantis malebat Commire — 95 Quicquid est *A* (sed al. m. supra lin. inter Quicquid et est scripsit id) — 100 demum *A* (sed supra e ead. m. scripsit t o, tum al. m. ex e eff. o) — 105 ibit Commire, quem Ellis et Bellanger sequuntur, ibi *A* — 106 at tua Commire, quem Ellis et Bellanger sequuntur, Atria *A*, querela *A*, querella Ellis, quem Bellanger sequitur, notos

- Aut si lictorem tanget vox clarior, opta
 ut bene submotus nec male caesus eas.
 Sed fac, quod rarum est, ut victus ianitor auro
 ac precibus tandem dicat 'adire potes'.
 110 Ingredieris lingua blandus vultuque modestus,
 corpore subiectus: nil tamen ista iuvant.
 Omnis honor pretii est: ibis pro pondere nummi,
 carta seu foliis sive petes tabulis.
 115 Nam si cessarit dives manus, irrita res est,
 et si verba dabis, tu quoque verba feres.
 En honor arrisit, quem semper in ordine mos est
 sumere sero quidem, sed posuisse cito;
 nam quod tu dederas, mox conferet alter et alter:
 120 quod multi cupiunt, nemo diu tenuit.
 Fac tamen ut longum durans honor inflet agentem,
 numquidnam finem non habiturus erit?
 Finge age mansuri signent tua nomina fastus
 atque tuo felix annus eat titulo:
 125 quid tandem prodest, cum desinit esse, potestas?
 in quo sentitur quod fuit atque abiit?
 Et quod paulatim succedens nesciet aetas,
 et quod si scierit, quid tibi mercis erit?
 Sed qui terreno tantum dependis honori,
 130 tantaque hinc homines ambitione colis,
 ut domino placeas, cuius sunt omnia, Christo
 insuper et regnum promerere dei,

Commire, quem Ellis et Bellanger sequuntur, notus *A* — 107 lectorem *A* (sed al. m. mut. prior. e in i), opta editt., obta ex qbta correctum in *A* — 110 ac editt., At *A* — 111 bland h. e. blandus *A* — 113 ib h. e. ibis *A*, númi h. e. nummi *A*, numi Ellis — 114 Qarta *A* (sed al. m. expunxit Q et supra lin. scripsit c), chartae Commire, petes Ellis, quem Bellanger sequitur, potens *A* — 116 dab h. e. dabis *A* — 117 En *A* (sed al. m. expunxit E et supra lin. scripsit a), En Ellis et Bellanger, An Martene — 121 agté h. e. agentem *A* et Bellanger, agat te Martene, quem Ellis sequitur, etsi suspicatur auentem scribendum esse, auentem malebat Schenkel — 125 post esse virgulam negat ponendam Baehrens — 128 quod *A*, quo Baehrens — 130 tantaque hinc Havet, quem Bellanger sequitur, Tantaque nunc *A*, tanta nunc Ellis, tantaque hic Baehrens, tanta et nunc Purser — 131 Vt *A*, tu Baehrens, placeat *A* (sed al. m. expunxit t et supra lin. scripsit s); omnia

Sord. Apoll.
cor mine

CARMEN XII

AD V. C. CATVLLINVM

Quid me, etsi ualeam, parare carmen
Fescenninicolae iubes Diones
inter crinigeras situm cateruas
et Germanica uerba sustinentem,
laudantem tetrico subinde uultu
quod Burgundio cantat esculentus,
infundens acido comam butyro ?
Vis dicam tibi quid poema frangat ?
ex hoc barbaricis abacta plectris
spernit senipedem stilum Thalia,
ex quo septipedes uidet patronos.
Felices oculos tuos et aures
felicemque libet uocare nasum,

5

10

Epigramma ad v. c. catullinum quod propter hostilitatem barbarorum epitalamium scribere non ualeret *subscr. rubr. in C*; Incipit epigramma ad cautulinum quod propter hostilitatem epitalamium scribere non potuit *in F*; Epigramma ad *VIRV CLARV CATVLLINV* quod propter hostilitatem barbarorum epithalium scribere non ualeret *in P*; *EIVSDEM EPIGRAMMA AD CATVLLINV in T.*

cui non allia sordidumque cepe
ructant mane nouo decem apparatus, 15
quem non ut uetulum patris parentem
nutricisque uirum die nec orto
tot tantique petunt simul Gigantes,
quot uix Alcinoi culina ferret.

Sed iam Musa tacet tenetque habenas 20
paucis hendecasyllabis iocata,
ne quisquam satiram uel hos uocaret.

14 sordidumque cepe *W. B. Anderson* : sordidaeque caepae
(sepe *F*) *codd.* || 21 *om. T*

CXXIII. AD GERUCHIAM.
DE MONOGAMIA

1. In ueteri uia, nouam semitam quaerimus, et in
antiqua detritaue materia, rudem artis excogitamus
elegantiam, ut nec eadem sint, et eadem sint. Unum 5
iter, et perueniendi quo cupias, multa conpendia.
Saepe ad uiduas scripsimus, et in exhortationem
earum multa de scripturis sanctis exempla repetentes,
uarios testimoniorum flores in unam pudicitiae coro-
nam texuimus. Nunc ad Geruchiam nobis sermo est, 10
quae quodam uaticinio futurorum, ac Dei praesidentis
auxilio, nomen accepit. Quam auiae et matris,
amitaeque, probatarum in Christo feminarum, nobi-
lis turba circumstat. Quarum auia Metronia, per
quadraginta annos uidua perseuerans, Annam nobis 15
filiam Fanuelis de euangelio retulit. Benigna mater
quartum et decimum implens uiduitatis annum, cen-
tenario uirginum choro cingitur. Soror Celerini, pa-
tris Geruchiae, qui paruulam nutriuit infantem, et in
suo natam suscepit gremio, per annos uiginti mariti 20
solacio destituta, erudit neptem, quod a matre didicit.

2. Haec breui sermone perstrinxi, ut ostendam
adulescentulam meam non praestare monogamiam

Codd. Γ (fragmenta) ΚΑΠΙΔΝΨΒ. Hieron. nomen exhibent tituli
omnium codicum praeter ΚΨ. Viduae, ad quam dirigitur epistula, varia
tribuuntur nomina : Agerurutiam Γ, Agerucia ΚΨΑΠΙΔ, Geru-
chia Ν, Angerochiam VI, Ageruchiam proponit (ἀγερωχία, ἀγέρωχος,
gloriosa). Acute, ut uidetur, Geruchiam (γέρως ἔχουσα), conlato textu
ipsius Epistulae (p. 74, 22) cum cod. Ν, contendit esse Hg : quodam
Vaticinio futurorum ac Dei praesidentis auxilio nomen accepit : « ho-
norem habens, honorata » || 5 unum quidem iter, sed perueniendi multa
conpendia Γ || cupis ΚΨ cupimus Β || 11 praesidentis (vid in rab. m2)
Β ; num praesidentis? (Hg) || 15 Amam — 16 retulit] fidelis filia, dum
tam integrae uiduitatis pudicitium seruas, annam nobis, fanuhelis
filiam, de euangelio retulisti.

generi suo, sed reddere; nec tam laudandam esse, si tribuat, quam omnibus exsecrandam, si negare temptauerit; praesertim cum postumus eius Simplicius nomen patris referat, et nulla sit excusatio desertae ac sine herede domus; sub quorum patronicio interdum sibi libido blanditur, ut quod propter intemperantiam suam faciunt, uideantur facere desiderio liberorum. Sed quid ego quasi ad retractantem loquor, cum audiam eam multos palatii procos ecclesiae uitare praesidio, quos certatim diabolus inflamat, ut uiduae nostrae castitatem probet, quam et nobilitas, et forma, et aetas, et opes faciunt cunctis appetibilem: ut quanto plura sunt, quae impugnant pudicitiam, tanto uictricis maiora sint praemia? 5

3. Et quia nobis de portu egredientibus, quasi quidam scopulus opponitur, ne possimus ad pelagi tuta decurrere, et apostoli Pauli scribentis ad Timotheum profertur auctoritas, in qua de uiduis disputans ait: « Volo autem iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario, maledicti gratia. Iam enim quaedam abierunt retro post Satanam », oportet primum sensum tractare praecepti, et omnem loci huius continentiam discutere; atque ita apostolicis uestigiis insistentem, ne transversum quidem, ut dici solet, unguem in partem alteram declinare. Supra scripserat qualis uidua esse deberet: « Unius uiri uxor, quae liberos educavit, quae in bonis operibus habuit testimonium, 15 20 25

19 I Tim. V 14-15 || 27 cf. I Tim. V 9-10.

5 de stirpe *KΨ* sub quor. — 17 liber.] frequenter sub patrocinio posteritatis uiduarum sibi libido blanditur ut, quod propter intemperantiam suam faciunt, uideantur facere desiderio liberorum || 11 probent *AIID 3* forma] fama *B* || quanti plura sunt quae impugnant pudicitiam, tanto uictoris maiora sunt praemia *Γ* || 24 insistere *N*.

quae tribulantibus de sua substantiola subministravit »; cuius spes Deus est, et quae permanet in obsecratione, et orationibus nocte ac die. Post quae iungit contraria : « Quae autem iu deliciis est, uiuens mortua est. » Statimque infert, et discipulum suum 5
 omni munit arte doctrinae : « Adulescentiores autem uiduas deuita, quae cum lasciuierint in Christo, nubere uolunt; habentes damnationem quod primam fidem irritam fecerunt. » Propter has igitur, quae fornicatae sunt in iniuriam uiri sui Christi (hoc enim 10
 καταστροφήλωσι Graecus sermo significat) uult Apostolus alterum matrimonium, praefereus digamiam fornicationi; secundum indulgentiam dumtaxat, non secundum imperium.

4. Simulque singula testimonii uerba tractanda 15
 sunt. « Volo, inquit, adolescentulas nubere. » Cur quaeso? quia nolo adolescentulas fornicari. « Procreare filios. » Quam ob causam? ne metu partus ex adulterio, filios necare cogantur. « Matres familias esse. » Quare obsecro? quia multo tolerabilius est 20
 digamam esse, quam scortum, secundum habere uirum, quam plures adulteros. In altero enim miseriarum consolatio est, in altero poena peccati. Sequitur : « Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia »; in quo breui accinctoque praecepto, multa 25
 simul monita continentur. Ne propositum uiduae exquisitior cultus infamet. Ne oculorum nutibus, et hilaritate uultus, iuuenum post se greges trahat. Ne aliud uerbo, aliud habitu polliceatur, et conueniat ei uersiculus ille uulgatus : 30

« Risit, et arguto quiddam promisit oculo. »

3 cf. I Tim. V 5 || 4 I Tim. V 6 || 6 I Tim. V 11-12 || 16 I Tim. V 14 || 31 Ouidius am. III 2, 83.

1 tribulatis *Ap.c.m2* || substantia *Ka.c.NV* || 6 omni munit *AIIDB*.

Ergo qui eligimus quod Apostolus non uult, sed uelle
 compellitur, immo adquiescit deteriora cupientibus,
 non Apostoli, sed nostram facimus uoluntatem. Legi-
 mus in ueteri testamento : semel maritos et filias
 sacerdotum, si uiduae fuerint, uesci debere de sacer- 5
 dotalibus cibis mortuisque sicut patri et matri sic
 exhibendum inferiarum officium. Sin autem alios ui-
 ros acceperint, alienas et a patre et a sacrificis fieri,
 et inter externas debere reputari.

7. Quod quidem obseruat, et gentilitas, in con- 10
 demnationem nostri, si hoc non exhibeat ueritas
 Christo, quod tribuit mendacium diabolo ; qui et cas-
 titatem repperit perditricem. Hierophanta apud Athe-
 nas eiurat uirum, et aeterna debilitate fit castus.
 Flamen unius uxoris ad sacerdotium admittitur. Fla- 15
 minica quoque unius mariti eligitur uxor. Ad tauri
 Aegyptii sacra semel maritus adsumitur. Vt omittam
 uirgines Vestae, et Apollinis, Iunonisque Achiuae, et
 Dianae ac Mineruae, quae perpetua sacerdotii uirgi-
 nitate marcescunt. Stringam breuiter reginam Car- 20
 thaginis, quae magis ardere uoluit, quam Iarbae regi
 nubere, et Hasdrubalis uxorem, quae adprehensis
 utraque manu liberis, in subiectum se praecipitauit
 incendium, ne pudicitiae damna sentiret, et Lucre-
 tiam, quae amissa gloria castitatis, noluit pollutae 25
 conscientiae superuiuere. Ac ne multa longo sermone
 contexam, quae potes de primo contra Iouinianum
 uolumine in aedificationem tuam sumere, unum tan-
 tum, quod in patria tua gestum est, repetam ; ut

5 cf. Leu. XXI 13-15 ; XXII 12-13 || 6 cf. Leu. XXI 2 || 12 cf. Ter-
 tull. de exhort. cast. c. 13 || 20 cf. Vergil. Aen. IV 36 || 21 cf. Lilius
 LI per. || 25 cf. Lilius I 58,

4 mar. et] maritatus *Ba.c.* || 6 mortuisque *DN* || 8 alienas eas *AID* ||
 27 contexam] *add.* habes quam plurima *KP*.

scias pudicitiam etiam barbaris ac feris, et sanguinariis gentibus esse uenerabilem. Gens Teutonum ex ultimis Oceani atque Germaniae profecta litoribus, omnes Gallias inundauit, saepiusque caesis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias Mario oppugnante, 5 superata est. Quorum trecentae matronae, cum aliis se uiris captiuitatis condicione tradendas esse didicissent, primo consulem deprecatae sunt, ut templo Cereris ac Veneris in seruitium traderentur. Quod cum non inpetrarent, submouente eas lictore, caesis 10 paruulis liberis, mane mortuae sunt repertae, suffocatis laqueo faucibus, et mutuis complexibus se tenentes.

8. Quod igitur barbarae castitati non potuit inferre captiuitas, hoc matrona nobilis faciet? et experietur 15 alterum uirum, quae priorem aut bonum perdidit, aut malum experta est, ut rursus contra iudicium Dei facere nitatur? Quid si statim secundum perdidit, sortietur et tertium? et si ille dormierit, in quartum quintumque procedet, ut quo a metricibus 20 differat? Omni ratione uiduae prouidendum est, ne castitatis primos excedat limites. Quos si excesserit, et uerecundiam ruperit matronalem, in omnem debacchabitur luxuriam, ita ut prophetam mereatur audire dicentem : « Facies meretricis facta est tibi ; 25 inpudorata es tu. » Quid igitur? Damnamus secunda matrimonia? Minime ; sed prima laudamus. Abicimus de ecclesia digamos? Absit : sed monogamos ad con-

2 cf. Valer. Maxim. VI 1 ext. 3 || 25 Jer. III 3.

5 obpugnanti (-te m2) II pugnante *KNB* || 7 trahendas *AHD* primum *codd. praetor KY* || 19 sortietur (r. *eras. II*) societur *AD* || tertio *AHD* || 21 ne cast.] necessitatis Γ || pudicitiae excedat Γ quod *KAH* || 23 superet *AHD* matrimonialem Γ bachatur Γ || 26 non damnamus Γ || 28 sicut in Γ .

litudo uel ecclesiam significat de gentibus congregatam : uel (quod ipsi magis loco conuenit) synagogam primum adsumptam de idolatris per Abraham, et Moysen ; deinde post adulterium, et negationem Saluatoris, sedentem plurimo tempore sine altari, 5 sacerdotibus ac prophetis, et uiri pristini consortium praestolantem ; ut postquam subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israhel saluus fiat?

13. Quasi in breui tabella latissimos terrarum situs ostendere uolui, ut pergam ad alias quaestiunculas ; 10 quarum prima de Annae consilio est :

« Solane perpetua moerens carpere iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?
Id cinerem, aut manes credis curare sepultos? »

Cui breuiter respondeat ipsa, quae passa est : 15

« Tu lacrimis euicta meis : tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque obicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine uitam
Degere more ferae, tales nec tangere curas.
Non seruata fides cineri promissa Sychaeo. » 20

Proponis mihi gaudia nuptiarum : ego tibi opponam pyram, gladium, incendium. Non tantum boni est in nuptiis quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, et timendum est. Libido transacta semper sui relinquit paenitudinem, nunquamque satiatur, et extincta redaccenditur. Vsu crescit, et deficit ; nec rationi paret, quae impetu ducitur. Sed dices : 'Amplae opes, et dispensatio rei familiaris egent auctoritate uiri.' Scilicet perierunt domus cae-

12 Verg. Aen. IV 32-34 || 16 IV 548-552.

2 loco magis *codd.* praeter *KΨ* || 5 sedentes *Aa.c.m2Π* || 7 praestolantes *Aa.c.m2Π*.

libum, et nisi cum seruulis tuis ipsa serueris, familiae
 tuae imperare non poteris. Auia tua, mater et amita,
 nonne auctoritatis pristinae, honorisque maioris sunt,
 dum eas, et tota prouincia, et ecclesiarum principes
 suspiciunt? Ergo milites et peregrinantes sine uxo- 5
 ribus sua hospitiola non regunt, et nec inuitant ad
 conuiuia, nec inuitantur? Quasi non possis probatae
 aetatis habere famulos, uel libertos, in quorum nu-
 trita es manibus; qui praesint domui, ad publicum
 respondeant, tributa persoluant; qui te suspiciant 10
 ut patronam, diligant ut alumnam, uenerentur ut
 sanctam. Quaere primum regnum Dei, et haec omnia
 adponentur tibi. Si de ueste cogitaueris, lilia tibi de
 euangelio proponentur. Si de cibo, remittere ad aues,
 quae non serunt, neque metunt, et Pater tuus cae- 15
 lestis pascit illas. Quantae uirgines et uiduae absque
 ulla sorde rumoris, suam substantiolam gubernarunt?

14. Caue ne iungaris adulescentibus : ne his ad-
 haereas, propter quas Apostolus concedit secunda
 matrimonia, et sustineas in media tranquillitate nau- 20
 fragium. Si Timotheo dicitur : « Adulescentiores ui-
 duas deuita »; et iterum : « anus ut matres, adu-
 lescentulas ut sorores, cum omni castitate »; quare
 tu me non audias commonentem? Fuge personas, in
 quibus potest malae conuersationis esse suspicio, nec 25
 paratum habeas illud e triuio : Sufficit mihi conscien-
 tia mea; non curo quid loquantur homines. Et certe
 Apostolus prouidebat bona, non solum coram Deo,
 sed et coram hominibus, ne per illum nomen Dei

21 I Tim. V 11 || 22 I Tim. V 2.

10 suspiciant *DY* suscipiant *cet.* || 18 caue — [21 naufrag.] caveat ui-
 dua iuuenes, ne illa familiaritate iungatur adulescentibus et sustineat
 in media tranquillitate naufragium *I.*

pedibus, et tamen dicere poterant : « Nihil habentes, et omnia possidentes. » Et, argentum et aurum non est nobis, quod autem habemus : « in nomine Iesu Christi surge, et ambula ». Non enim erant diuitiarum sarcina prae-grauati. Et ideo stantes cum Helia in foramine petrae, per angustias acus transire poterant, et posteriora Domini contemplari. Nos uero ardemus auaritia, et contra pecunias disputantes, auro sinum expandimus ; nihilque nobis satis est. Et illud, quod de Megarensibus dicitur, iure miseris coaptari potest : aedificant quasi semper uicturi, uiuunt quasi altera die morituri. Et haec facimus, quia Domini uerbis non credimus ; quia aetas optata cunctis non uiciniam mortis, quae debetur mortalibus lege naturae ; sed cassa spe, annorum nobis spatia pollicetur. Nemo enim tam fractis uiribus, et sic decrepitae senectutis est, ut non se putet unum adhuc annum esse uicturum. Vnde subrepat obliuio condicionis suae, ut terrenum animal, et iam iamque soluendum, erigatur in superbiam, et animo caelum teneat.

15. Verum quid ago? Fracta naue de mercibus disputo. Qui tenebat, de medio fit, et non intelligimus adpropinquare Antichristum, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. « Vae praegnantibus, et nutrientibus in illa die » ; quorum utrumque de fructibus nuptiarum est. Praesentium miseriarum pauca percurram. Quod rari hucusque residemus, non nostri meriti, sed Domini misericordiae est. Innumera-

1 II Cor. VI 10 || 3 Act. III 6 || 10 cf. Tertull. Apolog. c. XXXIX || 24 Matth. XXIV 19.

9 et ill — 11 potest] ita ut merito nobis dicatur illa sententia, quae de megarensibus dicta est Γ || 11 uiuunt — 12 facimus] ideo non prouidemus in posterum praesentis uitae uoluptate detenti Γ || 28 misericordiae ΝΨ -dia cet.

biles et ferocissimae nationes uniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod Oceano Rhenoque includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Halani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et, o lugenda respublica! hostes 5 Pannonii uastarunt. « Etenim Assur uenit cum illis. » Moguntiacus, nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est, et in ecclesia multa hominum milia trucidata. Vangiones longa obsidione finiti. Remorum urbs praepotens, Ambiani, Atrabatae, « extremique 10 hominum Morini », Tornacus, Nemetae, Argentoratus, translatae in Germaniam. Aquitaniae, Novemque populorum, Lugdunensis, et Narbonensis prouinciae, praeter paucas urbes cuncta populata sunt. Quas et ipsas foris gladius, intus uastat fames. Non possum 15 absque lacrymis Tolosae facere mentionem, quae ut hucusque non rueret, sancti episcopi Exsuperii merita praestiterunt. Ipsae Hispaniae iam iamque periturae, quotidie contremescunt, recordantes inruptionis Cymbricae, et quidquid alii semel passi sunt, illae 20 semper timore patiuntur.

16. Cetera taceo, ne uidear de Dei desperare clementia. Olim a mari Pontico usque ad Alpes Iulias, non erant nostra, quae nostra sunt. Et per annos triginta fracto Danubii limite, in mediis Romani imperii 25 regionibus pugnabatur. Aruerant uetustate lacrymae. Praeter paucos senes, omnes in captiuitate et obsidione generati, non desiderabant, quam non noue-

10 Verg. Aen. VIII 727.

21 tempore pessimo, alii perierunt, alii uero, qui superesse uidentur, per momenta singula contumescunt, et quod illi semel passi sunt, isti semper timore patiuntur Γ || 26 aruerunt ΑΙΙΔΥ || 28 multi miseri sunt, qui in obsidione et captiuitate generati, nec desiderant, quam nesciunt, libertatem Γ.

rant libertatem. Quis hoc crederet? quae digno ser-
 mone historiae comprehenderent? Romam in gremio
 suo, non pro gloria, sed pro salute pugnare? immo
 ne pugnare quidem, sed auro et cuncta superlectili
 uitam redimere? Quod non uitio principum, qui uel 5
 religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari accidit
 proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit ini-
 micos. Aeterno quondam dedecore Romanum labo-
 rabat imperium, quod Gallis cuncta uasantibus,
 fusoque apud Alliam exercitu, Romam Brennus in- 10
 trasset. Nec pristinam abolere poterat ignominiam,
 donec et Gallias, genitale Gallorum solum, et Gallo-
 graeciam, in qua consederant Occidentis Orientisque
 uictores, suo imperio subiugasset. Hannibal, de His-
 paniae finibus orta tempestas, cum uastasset Italiam, 15
 uidit urbem, nec ausus est obsidere. Pyrrhum tanta
 tenuit Romani nominis reuerentia, ut deletis omni-
 bus, e propinquo recederet loco : nec auderet uictor
 aspicere, quam regum didicerat ciuitatem. Et tamen
 pro hac iniuria (non enim dicam superbiam quae bo- 20
 nos exitus habuit), alter toto orbe fugitiuus, tandem
 Bithyniae mortem ueneno repperit ; alter reuersus in
 patriam, in suo regno occubuit ; et utriusque prouin-
 ciae populi Romani uectigales sunt. Nunc ut omnia
 prospero fine eueniant, praeter nostra quae amisimus, 25
 non habemus quod uictis hostibus auferamus. Poten-
 tiam Romanae urbis, ardens poeta describens, ait :
 « Quid satis est, si Roma parum est? » Quod nos alio
 mutemus elogio « Quid saluum est, si Roma pe-
 rit? » 30

28 Lucanus V 274.

18 orientis occidentisque *KNY* || 17 ut et *AIID* || 20 superbium
KNB -bia *cel.* || 25 prospere *K* prospero in *N* ueniant *KDNY* || 26 sci-
 dulas *scr.* *Hg* ; scidulam *D* || 28 quod — elogio] nos uero dicamus *Γ*.

« Non mihi si linguae centum sint, oraue centum.
 Ferrea uox, omnes captorum dicere poenas,
 Omnia caesorum percurrere nomina possim. »

Et haec ipsa quae dixi, periculosa sunt, tam loquen-
 tibus, quam audientibus, ut ne gemitus quidem liber 5
 sit, nolentibus, immo nec audentibus nobis flere quae
 patimur.

17. Responde mihi, carissima in Christo filia, in-
 ter ista nuptura es? quam acceptura uirum, credo 10
 fugiturum, aut pugnaturum? Quid utrumque sequa-
 tur intellegis. Et pro Fescennino carmine terribilis
 tibi rauco sonitu bucina concrepabit : ut quas pro-
 nubas, habeas forte lugentes, ut quibus deliciis af-
 fluas, quae possessionum tuarum reditus perdidisti ;
 quae obsessam familiolam tuam, morbo et fame cer- 15
 nis contabescere? Sed absit, ut de te talia sentiam,
 ut sinistrum quippiam suspicer de ea, quae suam ani-
 mam Domino consecrauit. Non tam tibi, quam sub
 tuo nomine aliis sum locutus, quae uinosae et curio-
 sae atque uerbosae domus circumeunt matronarum, 20
 « quarum Deus uenter est, et gloria in confusione
 earum », quae nihil aliud de scripturis, nisi digamiae
 praecepta nouerunt, quae in alieno corpore, sua de-
 sideria consolantur, ut quod ipsae fecerint, alias fa-
 cere uideant, et malarum societate palpentur. Qua- 25
 rum cum inpudentiam et propositiones, apostolica-
 rum sententiarum interpretatione contriueris, legito

1 Vergil. Aen. VI 625-627 || 21 Phil. III 19.

4 et haec — aud] in haec deuenimus mala Γ || 5 audientibus
 Γ Aa.r., KILNB || 17 sinistri II || 19 uinosae] otiosae AID || 23 quae in
 alieno — palp.] detestabiles sunt qui mala alios (sic) suadent 9 : in
 se fecerunt et in alieno peccato sua scelera consolantur, ut dum hoc
 quod ipsi admiserunt, alteros facere uident, quodam modo malorum
 societate palpetur Γ.

quomodo tibi in uiduitate seruanda uiuendum sit, librum ad Eustochium de uirginitate seruanda, et alios ad Furiam atque Saluinam, quarum altera Probi quondam consulis nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia est. Hic libellus « de Monogamia » sub nomine tuo titulum possidebit. 5

CXXIV. AD AVITVM

1. Ante annos circiter decem, sanctus uir Pammachius ad me cuiusdam scidulas misit, quae Origenis *περὶ ἀρχῶν* interpretata uolumina continerent, imo 10 uitiata; hoc magnopere postulans, ut Graecam ueritatem seruaret Latina translatio, et in utramque partem seu bene, seu male dixisset ille, qui scripsit, absque interpretis patrocinio, Romana lingua cognosceret. Feci ut uoluit, misique ei libros, quos cum 15 legisset, exhorruit, et recludens scrinio, ne prolati in uulgus, multorum animos uulnerarent. A quodam fratre ex iis qui habent zelum Dei, sed non secundum scientiam, ad legendum, rogatus ut traderet quasi statim reddituro, propter angustiam temporis, fraudem non potuit suspicari. Qui acceperat legendos, 20 adhibitis notariis opus omne descripsit, et multo celerius quam promiserat, codicem reddidit. Eademque temeritate, et (ut leuius dicam) ineptia, quod male surripuerat, peius aliis credidit. Et quia difficile 25 grandes libros et de rebus mysticis disputantes, notarum possunt seruare compendia, praesertim qui furtim celeriterque dictantur; ita in illis confusa sunt omnia, ut et ordine in plerisque, et sensu careant.

2 cf. epist. XXII || 3 cf. epist. LIV et LXXIX.

18 ex iis *add.* Hg, *om. codd.* || 18 habent *scr.* Hg, *habens codd.*